

quot sunt distantiae gradus. Puta, terminus sextus $f = A + DE = A + 5E$.

3 Dato igitur termino primo, cum communi Excessu, & termini cujuscvis assignati Indice, sive distantia a primo; A, E, D ; invenitur terminus assignatus. nempe $A + DE$. per præced. quod enim illic theorematice affirmatur, hic problematice proponitur.

4 Si terminus ultimus sit V ; erit penultimus $V - E$; antepenultimus $V - 2E$; quartus a fine $V - 3E$; & sic deinceps quilibet terminus continue minuendus est communi excessu semel detracto. Id enim postulat definitio. Quanto enim quilibet locus progrediendo augetur, tanto retrocedendo quilibet minuitur. Puta $\alpha = V, \beta = V - E, \gamma = V - 2E$ &c.

5 Constat igitur terminus quilibet ex termino maximo, dempto toties excessu communi, quot terminus ille gradibus ab ultimo distat: (ipso interim ultimo non cõputato.) per præced. Puta, sextus a fine $\zeta = V - DE = V - 5E$.

6 Dato igitur termino maximo, cum excessu communi, & termini cujuscvis assignati distantia ab ultimo; V, E, D ; invenitur terminus assignatus. Nempe $V - DE$. per præced.

7 Dato termino quovis, cum excessu communi, & cujuscvis assignati termini majoris a dato distantia, (puta f, D, E ;) invenitur terminus assignatus. (ut *i*.) Nempe toties addendo excessum communem termino dato, quot assignatus a dato gradibus distat. Puta $i = f + DE = f + 3E$. Nam per def. vel prop. 1. pro singulis gradibus semel addendus est communis excessus.

8 Dato termino quovis, cum excessu communi, & cujuscvis assignati minoris distantia a dato; (puta f, D, E ;) invenitur assignatus. (ut *c*.) Nempe toties auferendo excessum communem, quot assignatus a dato gradibus distat. Puta $c = f - DE = f - 3E$. Nam per def. vel prop. 14. pro singulis gradibus semel auferendus est communis excessus.

9 Dato igitur excessu communi, cum terminorum quorumvis ab invicem distantia; E, D ; datur illorum terminorum differentia. (puta $f - c$: vel $i - f$.) nempe DE . per prop. 7 & 8. Puta $i - f = DE = 3E$. per prop. 7. & $f - c = DE = 3E$. per prop. 8. transpositis scilicet utrobique æquationum terminis.